



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola Prima. P. Francisco Mansillæ Societatis Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

S. FRANCISCI
X A V E R I I
E SOCIETATE IESV
INDIARVM APOSTOLI
NOVARVM EPISTOLARVM.
LIBER III.

EPISTOLA PRIMA.

*P. Francisco Mansilla Societatis
IESV.*



CARISSIME in Christo Frater
Deus suo semper prestò sit vo-
bis auxilio. Amen. Perju-
cundæ mihi fuerunt tuæ ulti-
mæ literæ, docentes multa
quæ & nosse avebam & juva-
bit didicisse. Expecto dum nuncios securam
jam planè à Badegis Gentem & regionem
istam. idque te indicare cum primùm verè
poteris, cupio. Tunc enim citra pericu-
lum,

lum, & istorum quibuscum es querelam, licebit Te illuc transferre ubi, ut scis, luculenta rei ad Dei obsequium bene gerendæ spes & occasio invitat. Expediam eò Te, misso qui vice tuâ isthic curet, Francisco Coëllio. Sic tu liber & cunctis boni consulentibus abscedens, ibis, quò ingens ad Dei gloriam Operæpretium vocat, baptizatum Careapanenses; & alia è Religionis usu administratum apud Careas Beadalæ, & apud Præfectum locis illis, quem Mudaliarem vulgò nuncupant. nam Præfectus Negapatanis plurimum autoritate ac gratiâ valet apud Regem Iafanapatensem, cujus imperio subsunt illæ Insulæ Manaris. & talis est ut sperari ab eo possit, libenter fauturum ipsis apud Regem. Statim igitur atque isti populi quibuscum vivis, in plenâ tranquillitate fuerint, prorsus soluti metu Badegarum, expedias ad me velim Tabellarium qui hoc ipsum indicet, ut sine morâ mittam ad Te Franciscum Coëllium cum pecuniâ, literis ad quos est opus, & mandatis quæ te scripto edoceant, quid & quatenus, quove modo, agendi causâ Te Manarem destinem. Impensè Tibi commendo Fratrem Nostrum Ioannem de Artiagâ. scribe ad me quibus

I rebus

rebus egeat , ut provideam prout par est .
 Hic solus penè sum ex quo Antonius æger
 Manapare remansit . & quod perincommo-
 dum est , in medio Populi linguæ ignora de-
 stitutus auxilio Interpretis . Interpretum
 siquidem loco mihi sunt Rodericus qui nunc
 adest , & Antonius quando aderat . quàm
 periti uterque nostræ linguæ tute ipse scis ;
 & ex eo intelliges quam hoc loco vitam
 degam , quos sermones habere ad concio-
 nem queam , ubi qui dicta scilicet mea Po-
 pulo declarent , nec intelliguntur à me , nec
 me intelligunt . unis ergò nutibus disertus
 hic quidem sim oportet . non deest tamen
 quod agam . nam ad baptizandos pueru-
 los modò natos , aut infantes ad id oblatos
 à Parentibus , Interprete non egeo . quos
 nudos , quos fame luridos intueor , ij quid
 à me velint occursum ipso & specie satis per
 se produnt . duobus hisce præcipuis generi-
 bus utilissimorum Operum ita exerceor , ut
 non pœniteat temporis impensæ . Badegæ
 qui hanc oram infestabant , omnes Cabe-
 caten profecti liberos nos & in præsens se-
 curos reliquerunt : qui per Mediterranea
 grassantur , adhuc illic omni crudelitate sæ-
 viunt ; nec absistent à rapinis & maleficâ vi ,
 quoad

quoad autoritate Regis Travancoris, (in quo ut dixi laboratur) de pace cum ipsis aut inducijs convenerit. Dominus Nolter sit semper vobiscum. Amen. Punicale xii. Kal. Septembris An. c. d. c. xliv.

Hac nocte solvo Talen versùs, solatum egenos, quos magno illic numero summâ necessariorum inopiâ premi audio.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

Franciscus.

EPISTOLA II.

EIDEM.

Carissime in Christo Frater. Princeps qui Tale degit, cognatus Regis Travancoris, tam amicus nobis est, ut ubi primùm audivit Adigarum injurias in Christianos istarum partium, statim isthuc vice suâ miserit unum è suis Familiaribus cum literis ad Adigares, quibus eis præcipit, ut annonam & cætera necessaria exportari liberè in eas Insulas è Continente sinerent, omni-

I 2 que